PROCANCELLARIVS

IO. GODOFREDVS BAVER

SVMMOS

IN VTROQVE IVRE

HONORES

PRAENOBILISSIMO CANDIDATO

GEORGIO HENRICO BOSE

LIPSIENSI

DIE XXIX. FEBR. MDCCXLVIII

CONFERENDOS

INDICIT

Digitized by Google

Digitized by Google

CODEX Florentinus ſequentem *l. 77. d. R. I.* ſervat lectionem: *Actus legitimi, qui recipiunt diem, vel conditionem, veluti mancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, ſervi optio, datio tutoris, in totum vitiantur per temporis, vel conditionis adiectionem: nonnunquam tamen actus ſupraſcripti tacite recipiunt, quæ aperte comprehenſa vitium adferunt. Nam ſi acceptum feratur ei, qui ſub conditione promiſit, ita demum egiſſe aliquid acceptilatio intelligitur, ſi obligationis conditio extiterit, quæ, ſi verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.* Eamque lectionem defendunt CVIACIVS *L. XV. Obſ. 16.* RAEVARDVS & WISSENBACH *ad d. l. 77.* Verumtamen lectionem vulgatam, *qui non recipiunt diem, vel conditionem, cet.* præferendam eſſe duco. Quippe quam verba ſequentia, *nonnunquam tamen tacite recipiunt*, quæ continent exceptionem, ſatis ſuperque tuentur, nec permittunt, vt cum CVIACIO verbum *recipiunt* ab initio de *facto* exandiamus, hoc ſenſu: *actus legitimi, quibus aperte ad-*

Digitized by Google

iicitur dies, *vel conditio.* Quæ ipſa ſignificatio minus uſitata eſt, dum verbum *recipere* potius naturam & aptitudinem rei actusque deſignare ſolet, ut in *l. 51. de legat. I.* ibi: *corpora nummorum permutationem non recipiunt.* in *l. 11. pr. d. ſerv. corrupt.* ibi: *nam & verba edicti omne detrimentum recipiunt.* in *l. 11. §. pen. d. leg. 3.* ibi: *quæ diviſionem non recipiunt.* in *l. 77. pr. d. V.O.* ibi: *ſtipulationes earum rerum, quæ diviſiones non recipiunt*, *non dividuntur.* in *l. 2. Eod.* ibi: *ſtipulationum quædam partium præſtationem recipiunt*, *quædam non recipiunt.* in *l. 80. in fin. ad L. Falc.* ibi: *legata*, *quæ dividuitatem non recipiunt.* & in *l. 22. de Vſurp. & Vſucap.* ibi: *heres & hereditas duas appellationes recipiunt.* Plus igitur quam manifeſtum eſt, non minus in *l. 77. d. R. I.* verbum *recipere*, idem, quod verbum *admittere*, ſignificare. JAUCH. *de negat. Pandect. c. XVI. n. 43.* JAC. GOTHOFR. ad. *l. 77. d. R. I.* ACTUS LEGITIMI vocati ſunt actus civium Romanorum ſolennes, qui publice, vel privatim, adhibita ſolennitate, lege civili præſcripta, nimirum conceptis verbis & præſentibus teſtibus, expediebantur, qui non propterea, quod ex lege deſcendant, ut pacta legitima, *l. 8. de pact.* ſed, quia ſolenni modo, a lege inducto, celebrantur, vocantur legitimi. Tales legitimi actus ſunt quoque legis actiones, quarum frequens in jure mentio occurrit. *l. 1. de offic. Iurid. Alexandr. l. 2. l. 3. d. offic. Procons. l. 4. d. adopt. l. 1. C. Eod.* Quamvis enim legis actionem, & actum legitimum, non ſimpliciter idem eſſe exiſtiment JAC. GOTHOFRED. ad *l. 77. d. R. I.* HOTOMANN. *illuſtr. quæſt. 34. 1. amicab. reſponſ. c. 29.* SCIPIO GENTILIS *d. Iurisdict. L. I. c. 34.* quum legis actiones non niſi apud magiſtratus expediantur, actus legitimi vero etiam extra jus, & ſine prætore: hanc ipſam tamen differentiam deſtruit exemplum tutoris dationis, quæ expreſſe in *d. l. 77. d. R. I.* actibus legitimis accenſetur. Nec ſatisfacit GOTHOFREDI reſponſio, quod tutoris datio potius ab ipſo magiſtratu fiat

at, quam coram magiſtratu. Nam id quoque, quod a magiſtratu peragitur, in jure & coram prætore fieri non recte negatur. Diſtinctius & ſolidius procedis, ſi legis actiones, & actus legitimos, unum idemque eſſe, ſed non omnium actuum legitimorum eandem eſſe rationem & cauſſam, verum inter eos aliquos eſſe dicas, qui aliter expediri nequeunt, quam in jure coram magiſtratu, alios vero non ſolum in jure, ſed & extra jus & privatim. Porro de actibus legitimis alii diei, vel conditionis, adiectionem admittunt, alii non admittunt. Eorum, qui non admittunt, exempla ſunt MANCIPATIO, ACCEPTILATIO, HEREDITATIS ADITIO, SERVI OPTIO & DATIO TVTORIS. Quæ etſi tantum in *l. 77. d. R. I.* memorentur: attamen plura non excluduntur. Veluti manumiſſio vindicta, *l. ult. C. d. his qui a non domin. mon. l. 2. l. 3. C. d. vind. l. libertas 33. d. manum. teſtam.* emancipatio & adoptio. *l. 1. d. offic. Iurid. Alexandr. l. I. C. d. adopt. l. 34. ff. Eod. l. 3. d. Offic. Proconſ.* CVIACIVS *L. VI. Obſ. 25.* Nec minus huc pertinet coëmtio in matrimonio, qua mulier in manum mariti conveniebat, & fiebat materfamilias. Quæ viro loco filiæ, & ſic in mariti manu mancipioque fuit, JAC. GOTHOFRED. ad *l. 77. d. R. I.* ſicuti & as Caianus intervenit. BRISSON. *I. ſelect.* 7. In quibus exemplis quum uſus mancipationis itidem occurrat, illa ſub voce *mancipationis* in *l. 77. d. R. I.* comprehendi, faciliori propugnaveris opera, ſiquidem a diſtinctione inter actus legitimos, & legis actiones abſtineas.

Etſi matrimonium, quod per coëmtionem contractum non eſt, ſub dicta actuum legitimorum definitione non omnino contineatur: recte tamen a PETRO FABRO ad *l. 77. d. R. I.* notatur ACCVRSIVS, qui illud ſub conditione, vel in diem, contrahi poſſe exiſtimat. Nec probanda eſt BRONCHORSTII *ad eand. legem* ſententia, qui ſaltem in diem, vel ad tempus conjugium iniri non poſſe concedit, ſub conditione honeſta

 &

& poſſibili vero nuptias contrahi poſſe arbitratur. Quo ipſo ſponſalia cum matrimonio oppido confundit. Matrimonium eſt conjunctio viri & mulieris, ad ſobolem procreandam, perfecte inita & conſummata. Vnde formæ illius omnis conditio, per quam non conſummatur, ſed ſuſpenditur actus, non poteſt non repugnare. Saltem non ita repugnat, ut perinde, ac de actibus legitimis in *l. 77. d. R. I.* ſtatuitur, actum vitiet, ſed ille, qui ſub conditione mulierem in matrimonium accipere promiſit, ſimulac eam accipit, conditioni adiectæ, veluti proteſtationi facto contrariæ, renuntiat: & ſic conditio habetur non adjecta.

Ad actus legitimos, qui diem vel conditionem non recipiunt, *l.* refertur MANCIPATIO in *d. l. 77. d. R. I.* Quæ veteri iure modus fuit transferendi dominii in rebus, quas *mancipi* vocabant, puta, prædiorum in Italico ſolo conſtitutorum, & jurium ad ea pertinentium, item ſervorum & quadrupedum, quibus cæteræ res, *nec mancipi* dictæ, opponuntur. Ita vero mancipatio fuit peracta. Adhibebantur non minus, quam quinque teſtes, cives Romani, puberes, & præterea alius ejusdem conditionis, libram tenens æream, *Libripens* appellatus. Is, qui mancipio accipiebat, aes tenens ita dixit: *hunc ego hominem ex jure Quiritium meum eſſe aio: isque mihi emtus eſt hoc aere, aeneaque libra.* Deinde ære percutiebat libram, indeque aes dedit ei, a quo mancipio accepit, quaſi pretii loco. BOETHIVS *L. III. comment. in Topic. Ciceron.* vid. CAJI *Inſtitut. L. I. Tit. 6. §. 3.* ibique SCHVLTING. Qua ratione VLPIANVS *Tit. XIX.* §. 3. mancipationem vocat propriam alienationis rerum mancipi ſpeciem, quæ fit certis verbis, libripende & quinque teſtibus præſentibus. Hæc ſolennia eum in finem ſunt præſcripta, ut perfectiſſimus exiſteret modus dominium adquirendi. Adquiſitio dominii eſt perfectiſſima, quæ non die finitur, nec ad

Digitized by Google

ad conditionis exiſtentiam adſtricta, ſed in præſenti & in perpetuum eſt valitura. Inde non eſt mirum, quod diei, vel conditionis adjectio, tamquam formæ actus contraria, ſit improbata. Succedit *II.* ACCEPTILATIO, actus mancipationi contrarius. Sicuti mancipatio eſt nexu datio, ita illa e contrario eſt nexi liberatio, quæ procul dubio iisdem ferme ſolennitatibus eſt peracta, quibus mancipatio, quandoquidem actus ſolennis in *l. ult. C. d. revoc. bis, quæ in fraud. credit. alienat.* dicitur. Non recipit diem, vel conditionem, quia contradictio in adjecto eſt, *liberari aliquem*, & *liberationem differri.* Ad formam acceptilationis pertinet, ut debitor liberetur. Eſt enim imaginaria ſolutio, quæ veram imitatur ſolutionem, nec non obligationem perimit, hoc eſt, ſtatim & in perpetuum liberat. *l. 19. d. acceptilat.* junct. *l. 31. §. 1. d. novat.* At die vel conditione adjecta non liberatio debitoris, ſed liberationis dilatio intenditur. Sequitur *III.* HEREDITATIS ADITIO, quæ jure veteri fiebat per ſolennitatem cretionis, dum heres intra certorum dierum ſpatium, veluti *in diebus centum proximis, quibus ſcierit poteritque*, hoc eſt, *utilibus, non continuis, l. 2. quis ord. in bonor. poſſeſſ.* coram teſtibus, *vid.* VARRO *de lingu. lat. L. VI.* CICERO *ad Attic. L. XIII. epiſt. 46.* verba cretionis dicebat, ad hunc modum: *cum me Mævius heredem inſtituerit, eam hereditatem adeo cernoque*, procul dubio formula nonnihil diverſa adhibita, ſi cretio a legitimo herede perageretur. VLPIANVS *Fragm. tit. XIX. §. 27. ſeq.* ibique SCHVLTING. Etſi jure novo ſolennitas cretionis ſit ſublata, *l. 17. C. d. jur. delib.* non tamen ideo hereditatis aditio, quæ jam quibuscunque verbis: *volo eſſe heres*, fieri poteſt, *l. 88. d. adquir. vel omitt. heredit.* in numero actuum, qui diem, vel conditionem non recipiunt, eſſe deſiit. Equidem heres ſub conditione et ex die, pro teſtatoris arbitrio, inſtitui poteſt, *§. heres. I. d. hered. inſtit. tot. tit. d. condit. Inſtitut.* At enimvero ſub conditione, vel ad tempus, non

non poteſt adiri hereditas, et nulla eſt, nec valet hereditatis aditio ſub conditione, verbi cauſſa, ſi hereditas ſit ſoluendo, *l. 51. d. adquir. hered.* quia conceptui heredis adverſatur. Non eſt heres, niſi qui defunctum in perpetuum repraeſentat. Patrimonium, quod defunctus reliquit, eſt praeſens, non ſub conditione, nec ad tempus ab ipſo poſſeſſum. Qui ſub conditione, vel ad tempus hereditatem adire declarat, is in univerſum jus defuncti ſuccedere detrectat, nec adeo fit heres. Vnde patet, quod contradictio ſit in adjecto, aliquem ſub conditione, vel ad tempus, hereditatem adiiſſe. Quam ſententiam ſecuta eſt *F. I. L. menſ. Majo 1747.* in reſponſo *B. S. v. R.* dato: *Will B. S. v. R. ob ſie, wenn ſie bey Lebzeiten von ihrem Revers nicht abgehet, noch aus ihres Sohnes Teſtamente legitimam fordert, nichts deſto weniger über ſolche legitimam per teſtamentum diſponiren und verordnen kœnne, daſſelbige ganz oder zum Theil an ihre eingeſetzte Erben bezahlet werden ſolle, falls ihrem Sohne erſter Ehe, dem v. B. die in ſeines Bruders C. G. v. R. Teſtamente beſchiedenen legata nicht richtig bezahlet würden, des Rechten belehret ſeyn; Ob nun wohl derſelbe, ſo lange ſie ſich ausdrüklich nicht erkläret, daſſ ſie bey ihrem Revers verharren wolle, noch ihr die Verjährung zuwider iſt, unverwehrt, vermöge des von ihrem Sohne errichteten letzten Willens, ihre legitimam zu fordern, wannenhero, daſſ ſie in ihrem eigenen Teſtamente unter der Bedingung, wenn ihr Sohn der v. B. dasjenige, was ihm von ſeinem Bruder legiret worden, nicht richtig bekommen ſollte, ihren Revers wiederrufen, die legitimam von ihres Sohns Nachlaſſ acceptiren, und darüber per teſtamentum diſponiren könne, es das Anſehen gewinnet; Dennoch aber, und dieweil aditio hereditatis zu denen actibus legitimis gehörig, welche ſub conditione nicht geſchehen können, ſondern ob adjectionem conditionis per l. 77. d. R. I. null und nichtig ſeyn, dahero, wenn die Frau v. R. ſich vorerwehnter Bedingung bedienet, ſie in effectu ihres Sohnes Erb-*

ſchaft

Digitized by Google

ſchaffi nicht antritt, *und*, *da die Freyheit von dem ausgeſtellten Revers abzuweichen*, *und legitimam anzunehmen*, *ihr nur vor ihre Perſon gegönnet worden*, *mithin*, *wenn ſie ſich deren bey ihrem Leben nicht pure bedienet*, *es ſodann bey dem ausgeſtellten revers*, *in welchem ſie vormahls auf ihres Sohns Erbſchafft und das ihr davon zukommende Pflichttheil renuntiiret*, *ſein unverænderliches Bewenden hat*, *und die diſpoſition über die legitimam ſo wenig*, *als der leztern ſub conditione angemaſte acceptatio*, *beſtehet*: *So mag die Fr. v. R. durch eine teſtamentariſche diſpoſition über die von C. G. v. R. Verlaſſenſchafft zu fordern habende legitimam*, *unter der angeführten Bedingung*, *ihrem Sohne erſter Ehe*, *dem v. B. nicht füglich proſpiciren.* Hereditatis aditionem excipit *IV.* SERVI OPTIO. Legati optio certis verbis fieri conſuevit, ut HOTOMANNVS *32. Illuſtr.* colligit ex *l. 20. d. option. legat*, ibi: *teſtatione.* Eamque legitime coram prætore peragendam fuiſſe, probat SENECA *L. III. contr. 23. optio eſt*, *quæ legitime fit*: *illa non eſt facta legitime*, *ſi prætor defuiſſet.* Vt quævis optio a teſtatore ſub die vel conditione legari poteſt, & teſtator optioni diem poteſt adiicere, *l. alienationis 28 §. penult. d. V. S. l. 10. ad exhib.* ita conſequitur, legatarium, cui optio legata eſt, conſenſu heredis, quum de ipſius præjudicio tantum agatur, in diem vel ſub conditione optare poſſe, fruſtra diſſentiente PETRO FABRO *L. II. ſemeſtr. 23.* Enimvero in ſervi optione hoc ſecus eſt, quæ diem, vel conditionem, non admittit, quamvis conventio cum herede ſit inita. *d. l. 77. d. R. I.* Quod conſtitutum eſt in favorem ſervorum, ne dilata optione in diem, vel conditionem, & novae ſubinde optioni & exhibitioni loco relicto, interea tota familia ſervorum, caſu aliquo, libertate defraudetur, ſi nimirum in diem novæ optionis familiam, ſervosque in eodem ſtatu ſervili, ad novam optionem faciendam, manere exhiberique oporteret. JAC. GOTHOFRED. ad *d. l.* Denique agmen

 claudit

claudit *V.* DATIO TVTORIS, quæ fit a magiſtratu, quum poſt hunc nullus ſit, qui pendente conditione, vel ſub die, pupillo de tutore proſpiciat, vt quidem, ſi pater hoc modo tutorem dedit, *§. ad certum l. qui teſtam. tut. dar poſſ.* magiſtratus ad alium tutorem interea dandum adiri poteſt.

Etſi taciti alias eadem vis ſit, quae expreſſi: hic tamen inter expreſſam et tacitam diei, vel conditionis, adjectionem diſtinguendum, quum hanc admittant actus legitimi, quamvis expreſſam reſpuant. Quod probatur exemplo acceptilationis. Nam ſi pure acceptum feratur, quod in diem, vel ſub conditione debetur, acceptilatio tum demum valet et effectum ſortitur, quando conditio extitit obligationis, vel dies venit, *d. l. 77. d. R. I.* Qua ratione in acceptilatione tacite cenſetur repetita conditio, quae in ſtipulatione eſt expreſſa, *l. quod in diem 12. d. acceptilat. l. 21. Eod.* vt videre licet, quando dos nuptiarum cauſa promiſſa accepto fertur. Nam hujusmodi acceptilationi tacite ineſt conditio, ſi nuptiae ſint ſecutae, nec ea valet, niſi hac conditione exiſtente, *l. licet 43. pr. de jur. dot. l. 37. 38. Eod.* Atque ſic per *l. 77. d. R. I.* non minus probatur, quod ſaepe expreſſa noceant, quae non expreſſa non nocent, *l. 195. d. R. I.* Plane tutor a magiſtratu ſub conditione expreſſa, *ſi ſatisdederit*, recte datur, *l. 6. §. 11. de tutel.* Sed haec conditio abuſive dicitur *conditio*, quia negotium, quod geritur, non ſuſpendit. Potius eſt *modus*, et vim admonitionis habet.

Plura de hoc argumento dicere prohibet Vir nobiliſſimus,

GEORGIVS HENRICVS BOSE,

cujus favore hanc ego ſuſcipio ſcriptionem, acerbiſſimo ſuaviſſimae uxoris obitu abunde cruciatus, et pene oppreſſus. Is natus eſt Lipſiae, anno hujus ſeculi viceſimo tertio, die primo

Digitized by Google

mo menſis Februarii, patre, GEORGIO HENRICO BOSE, mercatore quondam hujus civitatis celeberrimo, et matre, Veneta EVA SIBYLLA, ex gente BACHMAIERIANA originem ducente; quorum dilectiſſimorum parentum dulciſſimam pie veneratur memoriam. Poſtquam in annis tenerioribus privata quorundam praeceptorum vſus eſt inſtitutione, tandem anno milleſimo ſeptingenteſimo triceſimo quarto gymnaſium, quod Gerae floret, frequentans, GOLDNERI et SCHLEVSNERI, jam beatorum, ductu per duorum ſpatium annorum primis operam dedit ſtudiis. Praematura SCHLEVSNERI mors effecit, vt hoc Ruthenum cum Martisburgenſi gymnaſio commutaret, ibique fideles HENKELII & HOFFMANNI imbueretur doctrinas. Quum igitur per quinquennium in antiqua hac Epiſcoporum ſede ſit commoratus, ipſique ad altiora progrediendi fuerit animus, is adiit Witebergam, a CRELLIO, Rectoris faſces gerente, in numerum civium relatus Academicorum. Deinde Philoſophicis, CHLADENII et BOSE, quem amore amplectitur fraterno, interfuit lectionibus, in his vero, quae ad jura faciunt, magnorum virorum, LEYSERI, laudati CRELLII, et ANDREAE FLORENTIS RIVINI, collegia frequentauit. Tandem in academiam reverſus patriam MENZIO, magnifico tum Rectori, nomen dedit, maximamque ex Praeſidis ſui devenerandi, Excellentiſſimi RIVINI, doctrinis percepit vtilitatem, non tamen minus priuatam aeque, ac privatiſſimam inſtitutionem virorum conſultiſſimorum, IOACHIMI, MENKENII et ZOLLERI, gratiſſima colens mente. Studiorum fructum vt referret ampliſſimum, dignamque Reipublicae praeſtaret operam, ab Ordine noſtro petiit, vt ipſi ſummi in vtroque jure conferrentur honores. Inde ad examina admiſſus conſueta, omnium ſatisfecit expectationi, nec non unaninem promeruit applauſum, de ipſo voti ſui compote reddendo. Quam ob cauſam futuro d. 29 Februar. in auditorio ICtorum, hora pomeridiana ſecunda, lectionem, quam vocant, curſoriam ad *l. fidejuſſor. 10.*

C

C. d. fidejuſſor. inſequenti die vero diſſertationem inauguralem, *de fidejuſſore inficiante*, ſub praeſidio Summe reverendi RIVINI habebit. Quo facto idem vir excellentiſſimus, cui vice cancellarii facultatem promouendi dedi, ipſi jura et privilegia doctoralia, excepta ſeſſione in collegio noſtro, tribuet. Quae ſolennia VT RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, et *utriusque reipublicae proceres* praeſentes ornent, *Generoſiſſimi* et *nobiliſſimi academiae cives* vero inſimul celebrent, ea, qua decet obſervantia, rogo. Dab. die Domin. Eſto mihi CIƆIƆCCXXXXVIII.

LIPSIAE

IMPRIMEBAT IO. GOTTL. IMMAN. BREITKOPF.

AC11474133

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google